

Le pape Eugène III prend sous la protection du Saint-Siège le prieuré de Saint-Irénée de Lyon et confirme toutes ses possessions.

16 DÉCEMBRE 1150.

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Paredo, priori Sancti Yrenei, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris canonicam vitam professis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Huberti, Lugdunensis archiepiscopi, precibus inclinati vestris justis postulationibus clementer annuimus et Sancti Yrenei ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus experimenda vocabulis : ecclesiam de Camponiaco, ecclesiam de Buxeriis, ecclesiam de Chambosco, ecclesiam Sancti Stephani de Varennis, ecclesiam Sancti Saturnini, ecclesiam de Palmiliaco, ecclesiam de Chaarata, ecclesiam de Maipiaco, ecclesiam de Vallibus cum pascuis, ecclesiam Sancti Laurentii, ecclesiam de Monte Calvo cum decimis et earum appenditiis, terram quoque de Bruciaco, terram de Chalmiliaco et de Monte de Chavanno cum earum decimis, in furno abbatie Sancti Justi coctionem proprii panis vestri absque fornatico. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam pertubare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvo censu et canonica justitia Lugdunensis archiepiscopi. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove

commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine destricte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(*Locus rotæ.*)

(*Locus signi.*)

Ego Eugenius, catholice ecclesie episcopus, subscrispsi.

- † Ego Imarus, Tusculanensis episcopus, subscrispsi.
- † Ego Nicolaus, Albanensis episcopus, subscrispsi.
- † Ego Hubaldus, presbiter cardinalis tituli sancte Proxedis, subscrispsi.
- † Ego Oddo, diaconus cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum, subscrispsi.
- † Ego Octavianus, diaconus cardinalis Sancti Nicholai in carcere Tulliano, subscrispsi.
- † Ego Johannes Paparo, diaconus cardinalis Sancti Adriani, subscrispsi.
- † Ego Gregorius, diaconus cardinalis Sancti Angeli, subscrispsi.
- † Ego Jacintus, diaconus cardinalis Sancte Marie in Cosmydyn, subscrispsi.
- † Ego Aribertus, presbiter cardinalis tituli Sancte Anastasie, subscrispsi.
- † Ego Julius, presbiter cardinalis tituli Sancti Marcelli, subscrispsi.
- † Ego Bernardus, presbiter cardinalis tituli Sancti Clementis, subscrispsi.
- † Ego Jordanus, presbiter cardinalis tituli Sancte Susanne, subscrispsi.

Datum Ferentini per manum Bosonis, sancte Romane ecclesie scriptoris, XVII kalendas januarii, indictione XIII, incarnationis dominice anno M⁺C^o quinquagesimo, pontificatus vero domni Eugenii III pape anno VI.

(*Original. — Archives départementales du Rhône. — Fonds de Saint-Irénée.*)